



Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo

Quorum Prior in duas Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales,
Canonicas Et Regulares: Secundus Controversias Civiles determinat

Quæstionum, Et Resolutionum Legalium Libri Duo - Quorum Prior in duas
Partes divisus, continet Resolutiones Beneficiales, Canonicas Et Regulares:
Secundus Controversias Civiles determinat

Tonduti, Pierre François de

Lugduni, M.DC.LXXXIX.

Cap. CLXXXVII. Ad quem spectet cura in Ecclesia Parochiali & Collegiata, &
nominatio Vicariorum ad curam exercendam. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98388](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98388)

- 6 Prædictis omnibus consideratis, Dixi consultius fore huic Canonico, ut si non posset verificari in observantiam dicti statuti, recurreret ad beneficium Regulæ de triennali possessione, cuius ope tutus esse posset, attenta sua triennali possessione: sufficit enim, quod promotor fuerit ante impetrationem ab adversario factam: Maynard. lib. 1. cap. 55. Louet littera B, & ibi Addent. num. 4. Ricc. collect. 2395. versic. amplia terrib. faciunt tradita per Sanch. in consil. moralib. lib. 2. cap. 1. dubit. 31. num. 20. 25. & 27. ubi sic tenet contra Rebuffi.
- 7 Et hoc procedit quamvis aliunde constaret de titulo invalido, quia possessio triennalis inducit præsumptionem alterius tituli validi, etiam si constaret de alio, Ludovisi. decis. 37. num. 9. Gomel. in reg. de trien. quest. 10.
- 8 Quod tamen intelligendum est, ut locum habeat si ipse possessor non produxisset titulum dispensationis invalidæ, quia ex huiusmodi productione cessaret præsumptio alterius tituli validæ dispensationis: Gomel. ad reg. de trien. quest. 10. circa finem, versic. sed adveniendum. In hoc tamen non est diutius immorandum, cum hæc questio tituli in materia triennalis possessionis, bene per nos explicata fuerit supra, lib. 1. cap. 85. num. 40. & sequentibus, ibi igitur videri poterit telolotum. Et hoc sufficit, quod Regula de triennali inducit præsumptionem dispensationis, & cuiuscumque melioris tituli, etiam favore ejus qui ob non promotionem ipso jure privatus fuisset: Cod. Fabrian. lib. 1. tit. 2. definit. 72. Sanch. dicto lib. 2. consil. moral. cap. 1. dubit. 31. num. 29.
- 10 Erit ergo tutus possessor triennalis adversus impetantem, non obstante defectu promotionis, propter præsumptam dispensationem: Et licet impetrans possit assumere onus probandi negativam, hoc est nullam factam fuisse dispensationem, nempe per diligentias & perquisitiones in registris: ex Verall. decis. 44. part. 3. & decis. 45. ubi apparet quod possessor debet se fundare in titulo præsumptæ dispensationis, & nullum alium dispensationis titulum producere.
- 11 Sed ista diligentia & perquisitio erit inutilis impetranti, quamvis doceret Canonicum istum à tempore suæ provisionis nullam obtinuisse dispensationem, quia illam potuit obtinuisse ante suas provisiones: Ludovisi. decis. 242. n. 8. & sic probatio Negativæ non resularet concludenter.
- Itaque Canonicus iste solo triennali possessionis beneficio tutus fuit, & impetantem exclusit.

CAPVT CLXXXVII.

Ad quæ spectat cura in Ecclesia parochiali & collegiata: Et nominatio Vicariorum ad curam exercendam? Quomodo fieri debeant provisiones Vicariorum in Ecclesiis unitis Dignitatibus, vel Capitulis: Et quod concursus in illis non sit necessarius. Provisio parochialis, quæ sunt de jure patronatus Ecclesiastico, quomodo fieri debeat secundum Concilium Tridentinum. Quomodo differat inter se unam Ecclesiam esse alteri sub-

Sanlegerii Tom. II. Pars I.

jectam, & alteri esse unitam. Similiter quomodo differat jus præsentandi quod competit ratione subjectionis, & ratione juris patronatus. Subjectio unius Ecclesiæ alteri ex quibus probetur. Et de interpretatione Bullæ Pii V. quæ incipit *Ad exequendum*. Et utrum illi bullæ derogari possit, aut saltem requiratur illius specialis derogatio.

SUMMARIUM.

- 1 In Ecclesiis parochialibus & collegiatis cura habitualis spectat ad primam Dignitatem.
- 2 Ecclesia parochialis provisio qua forma fieri debeat juxta Concilium Tridentinum.
- 3 Dispositio Concilii Tridentini circa provisiones parochialium locum etiam habet in provisionibus summi Pontificis, nisi facta fuerint per reservationem in favorem certæ personæ: quod non habet locum in Legatione.
- 4 Quando Papa providet sine concursu, necessaria est derogatio Concilii.
- 5 Parochialis existens de iure patronatus Ecclesiastico subiacet concursui: & qua forma tunc adhiberi debeat.
- 6 Nominatio quæ spectat ad Dignitatem, cui parochialis est unita, non dicitur procedere ex iure patronatus, sed ex jure subjectionis.
- 7 Subjectio unius Ecclesiæ alteri quomodo probetur.
- 8 Quomodo differant jus præsentandi ratione subjectionis, & quod competit ratione juris patronatus.
- 9 Ad probandam subjectionem Ecclesiæ non est opus producere instrumentum unionis, sed sufficit conjectura, & quæ?
- 10 Licet Episcopus Vicarios amovibiles fecerit perpernos, non præjudicatur iuribus primæ Dignitatis Ecclesiæ.
- 11 Ex perceptione omnium decimarum præsumitur subiectio Vicariorum in Parochialibus.
- 12 Nudum exercitium cura spectat ad illos, qui nunquam in provisionibus vocati fuerunt Rectores.
- 13 Non sit præjudicium Dignitati, quamvis provisio Vicariorum ab illa dependentium fuerit semel, & pluries facta per concursum.
- 14 Vicelegatus Avenionensis utrum possit derogare bullæ Pii V. Ad exequendum: Et utrum dicta bulla requiratur specialem derogationem: Et quid in beneficium Gallia.

IN Ecclesia parochiali & collegiata cura habitualis spectat ad Præpositum, tam ex dispositione juris, cum sit prima Dignitas in Ecclesia Parochiali, Cardin. Zabarell. consil. 30. in princip. ubi dicit quod satis expressum est, beneficium esse curatum, si fuerit narratum esse primam Dignitatem in parochiali: sed etiam ex antiquissima consuetudine, & statuti ejusdem Ecclesiæ, ut copiosius paulò post ostendemus. Vnde dubitatum fuit, utrum collatio beneficii unius, ex duobus curatis à Præposito dependentibus, qui olim vocabantur *Servatores Præpositi*, & erant amovibiles, facta aliter quam ad ipsius Præpositi nominationem, esset valida? Et ego pro nullitate provisionum concludendum existimavi.

N

Suppo

2. Supponendo in primis, quod ex dispositione sacri Concilii Tridentini *sess. 24. de reformat. cap. 18.* quotiescumque contingit vacatio Ecclesie parochialis, sive per obitum, sive per resignationem, etiam in Curia Romana, seu aliter quomodocumque contigerit, etiam si Ecclesia sit vacante, vel reservata fuerit; provisio illius fieri debet praevisio concursu, juxta formam à Concilio praescriptam, aliàs provisiones omnes, seu institutiones, praeter dictam formam factas, subreptitiae esse censentur.

3. Secundò supponendum est, constitutionem illam Concilii comprehendere omnes provisiones, etiam ab ipso summo Pontifice factas, multò igitur magis factas in Legatione. *Rot. decis. 48. num. 1. p. 1. diversor. ubi hoc ex verbis & mente Concilii fasè comprobatur.*

Quod tamen limitandum est, ut non procedat quando agitur de provisionibus parochialium factis coram Papa per resignationem factam in favorem certae personae, & cum commissione in forma *Dignum*; tunc enim concursus non est necessarius in Ecclesiis parochialibus, ut testatur Gonzal. *ad regul. 8. gloss. 6. numero 121.* sed si agatur de resignatione pura, concursus necessarius est, etiam si provisio fuerit facta per papam. *Gonzal. ibid. n. 213.* & sic cum coram Legato resignationes in favorem non admittantur, sequitur in quacumque resignatione parochialium Ecclesiarum, necessariò adhibendum concursum, si provisio in Legatione facta fuerit.

4. Quando autem Papa providet sine concursu, necessariam esse Concilii Tridentini derogationem, asserit *ibid. Gonzal. n. 120. Rot. dicta decisio 48. part. 1. diversor.*

Et per consequens, si ad Praepositum spectaret jus patronatus Ecclesiasticum dictorum beneficiorum, quibus annexum est exercitium actuale curae, constaret quod provisio facta in Legatione nullius esset momenti, quia facta non adhibito concursu, qui tamen omninò necessarius est, etiam si agatur de parochialibus existentibus de simili jure patronatus, servata forma Concilii, nimirum ut patronus praesentet Episcopo unum ex illis, qui digniores reperiuntur, quando institutio ad Episcopum, & non ad alium pertinet.

5. Quando verò institutio ab alio, quàm ab Episcopo facienda est, tunc Episcopus solus, ex iis qui digni habiti sunt, eligit digniorem, quem patronus ei praesentat, ad quem spectat institutio, ut statuitur in dicto Concilio *sess. 24. capite 18. versic. si verò jus patronatus*; & tradit Garz. *de benefic. parte 9. capite 2. numero 163. versic. Quinta dubitatio.*

6. Sed revera, potius ad primam Dignitatem spectat jus nominandi hujusmodi Curatos, quàm jus patronatus; magna liquidem est inter hæc duo differentia, quia nominatio, & praesentatio competens Dignitati, vel si nulla sit Dignitas, Capitulo, ut dicit Lotter. *de re benefic. lib. 1. quest. 20. numero 118.* non competit ratione patronatus, sed solum ratione subjectionis, ut bene explicat Lambertin. *de jure patronat. part. 3. lib. 1. quest. 10. princip. artic. 1. versic. quamvis modum, & versic. & sic concludit, quem ad hoc citat Rot. decis. 120. numero 6. part. 1. recent. repetita decis. 99. part. 3. numero 5. versic. nec praesentationes.* Siquidem subjectio probatur ex perceptione omnium decimarum, sustentatione onerum, & assignatione congruae portionis Vicario: ratione cuius subjectionis competit Praeposito jus nominandi, seu praesentandi Vicarium,

7. Et alia plura deducebantur in factò, propter quae negari non poterat, quia cura habitualis illius

seu Curatum, cui nudum exercitium curae competit, cuius institutio spectat ad Superiorem sine ulla concursu: ideo in *desisione eadem*, repetita *decis. 131. part. 2. recent. pro nec presentationes, male & per errorem Typographi ponitur dictio, nam praesentationes*: quia in hoc DD. omnes conveniunt, quod ex rotali decimarum perceptione, & aliis, de quibus supra, oritur evidens probatio subjectionis Ecclesiae, quod & probavit *Rot. decis. 352. num. 8. & 9. recent.*

Eandem differentiam inter jus praesentandi ratione subjectionis, & illud quod competit ratione juris patronatus, agnovit *Rot. decis. 789. n. 3. p. 1. diversor. versic. & sententia non dicitur*; & *decis. 710. n. 6. part. 2. recent. Cavalier. decis. 595. n. 3. versic. neque visum fuit obviare*; & *decis. 599. versic. nec obviare visa fuerunt.*

Ratione cuius subjectionis non debet in beneficiis parochialium subjectionem provisionis, concursus adhiberi, sicut in aliis dependentibus à jure patronatus Ecclesiasticis adhibendus est; sed institutio fieri debet ad nominationem eorum, quorum Dignitatus, vel Capituli tales Ecclesiae subiectae sunt: *Rot. decis. 102. num. 1. part. 1. recent. ubi generaliter fit mentio de Ecclesia subiecta, seu annexa, vel quae est de mensa, & idem dicitur part. 6. recent. decis. 16. num. 12. Cavalier. dicta decis. 595. n. 3. Barbof. plures allegas de officio paroch. c. 2. n. 19. Mallobr. in praxi concursus. pralud. 14. dubit. 1. n. 2. & 6. Burat. decis. 214. n. 3.*

Ad probandum autem, Ecclesiam esse annexam seu unitam alteri, seu Dignitati, vel Capitulo, non est necesse producere instrumentum unum, sed annexio: immò sufficiunt ad hoc signa subjectionis, ut bene per Seraphin. *decis. 1304. num. 1. versic. utrimò non obstat*; *Rot. decis. 102. n. 1. part. 1. recent. versic. Ecclesiam esse subiectam.*

Vnde in casu proposito probationes subjectionis erant clares. Primò, quia ab antiquissimis temporibus cura habitualis ad illum spectabat, ut de illo loquens testatur *Rip. respons. 26. numero 33.* Deinde verò exercitium curae fuit translatum in dictos Servitores praepositi amovibiles, licet ex constitutione Episcopi facti fuerint perpetui, sine praeposito nominationis ad Praepositum spectantis, quia antiqua Vicarii amovibilis nominatio arguit illam subjectionem, Seraphin. *dicta decis. 1304. num. 1. versic. Tertiò.* Nec juribus primævis Praepositi, si per illam perpetuitatem praedictam; maxime stante expressa reservatione facta per Episcopum in suo decreto: *Cavalier. dicta decis. 595. n. 2. Rot. dicta decis. 102. num. 10. part. 1. recent. Mallobr. de concursu. pralud. 14. dubit. 1. n. 6. Rot. decis. 710. n. 7. p. 2. recent.*

Secundò, subiectio Parochorum erga Praepositum probatur ex eo, quod Praepositi omnes decimas percipiunt, & Vicariis suis portionem ex ipsismet suis decimis assignant: *Cardin. in Clement. de offic. vicar. n. 10. quest. 9. Gloss. in Clement. frequent. in verbo, ad mensam, de excessu. pralator. & ibi lenc. num. 16. Seraphin. dicta decis. 1304. num. 1. versic. hincque resultat*, & habetur in omnibus fatis decisionibus supra citatis.

Tertiò, quia parochiales istae nunquam collatae fuerant in titulum Rectoris: ex quo colligitur, ad illos nudum dumtaxat Curae exercitium spectare. *Cavalier. dicta decis. 599. n. 7. Rot. dicta decis. 102. n. 7. Mallobr. dicta pralud. 14. dubit. 1. n. 6. & alia plura deducebantur in factò, propter quae negari non poterat, quia cura habitualis illius Ecclesiae*

Ecclesiæ ad Præpositum pertineret, dictique vicariatus illi subiecti, & ab eo dependentes.

23 Nec nocebat Præposito, quod aliquando in illis beneficiis factus fuisset concursus: quia per tales actus non potuit fieri præjudicium Domino Præposito, nec in petitorio, nec in possessorio: propter decretum irritans contentum in bulla summi Pontificis, quæ dat nominationem Præposito: quæ est Bulla, *Ad exequendum*, felic. recordat. Pii V. cuius meminit Gonzal. ad regul. 8. gloss. §. 3. num. 48. & sequentibus. ita determinavit Rot. apud Cavalier. decis. 593. num. 3. versic. neque visum: & decis. 599. n. 7. versic. nec obstat: & decis. 710. num. 6. p. 2. & dec. 16. num. 15. versic. cum non consistat de tali iure patronatus. part. 6. recent.

14 Et ex his indubitanter concludebam in favorem provisi ad præsentationem Præpositi. Verum quia audio in Rota Romana negotium disputari, & ibi moveri difficultatem: utrum Vicelegatus Avenionensis potuerit huic constitutioni Pii V. derogare; licet ego crediderim ipsum nec potuisse, nec voluisse derogare, cum hæc constitutio sit explicatio, & veluti pars Concilii Tridentini, cui ipse non derogat, nec unquam ab ipso derogatum vidi; & casu quo voluisset derogare, requirebatur specifica mentio & derogatio dictæ constitutionis, quæ est speciali nota digna, cum facta fuerit per viam legis: ut dicit Rota Tirasonen. Vicaria sancti Michaelis, coram Orano die 13. Octobris 595. in fine, versic. & dum dicebatur: & in eadem 4. Decembr. 1595. versic. & ad illud, quod regula: quæ duæ decisiones sunt apud Garc. de benefic. lib. 9. c. 2. n. 108. & 10. tamen nihil determino expectans sapientissimum ejusdem Rotæ iudicium: Censeo tamen Vicelegatum posse huic constitutioni derogare quoad beneficia Galliarum: cum hæc constitutio Pii V. in Gallia non sit recepta, nec observetur.

CAPVT CLXXXVIII.

Cui competat jus conferendi beneficia à collatione Decani dependentia, si ipse suum Decanatum resignaverit, vel mandatum fecerit ad resignandum. Ostenditur hac in re differentia inter resignationem puram, & conditionalem. Expresso uno vacationis modo, qui verus non sit, utrum provisio sustineatur per clausulam, & aliis quovis modo vacet. Litem motam per tertium non impedire quominus inter alios colligantes quilibet utatur jure suo. Beneficium quomodo impetrari possit ex defectu cantus requisiti à statuto.

S V M M A R I V M.

- 1 Resignatarius nullum jus habet, si resignanti jus non competat, & num. 10.
- 2 Qui pure resignavit, si resignatio fuerit admissa per Superiorem, non potest conferre beneficia dependentia à collatione beneficii resignati.
- 3 Quando resignatio non admittitur, beneficium non vacat.
- 4 Solum mandatum ad resignandum non nocet possessori beneficii, nec illum privat sua possessione.

Sanlegetii Tom. II. Pars I.

5 Resignans dicitur moriens civiliter in beneficio resignato: quod tamen locum non habet si solum mandatum fuerit factum, & non fuerit processum ulterius.

6 Mandatum faciens ad resignandum, potest licite percipere fructus sui beneficii.

7 Jus conferendi, quod beneficio annexum est, pertinet ad eum qui solum mandatum fecit ad resignandum, non sequuto effectu.

8 Resignatio conditionalis non impedit resignantem quominus utatur jure suo, donec resignatarius perfecte jus fuerit quesitum.

9 Regressus infirmo resignanti, & ad sanitatem redeunti non datur in Gallia, nisi in resignatione condicionali.

10 In mandato de providendo in forma Dignitatis, resignans remanet semper in possessione, donec resignatarius fuerit repertus idoneus.

11 Collatio facta ab eo, qui est in quasi possessione conferendi, aliis prevalere debet.

12 Expresso uno modo vacationis, qui non est verus, quid operetur clausula, & aliis quovis modo vacet: & quomodo hæc clausula intelligenda sit.

13 Sufficit impetranti quod modus vacationis expressus sit verus de facto, licet non sit verus de jure.

14 Lis quæ vertitur cum tertiis personis, non nocet colligantibus.

15 Quando ex statuto requiritur quod provisorius de Canonicatu sit peritus in cantu musico, si provisorius sit inhabilis ad canendum, ejus beneficium impetrari potest.

16 Habilitas provisi requiritur, si non tempore provisionis, saltem tempore examinationis.

Decanus cujusdam Ecclesiæ, qui in vim suæ Dignitatis jus conferendi Canonicatus sibi competere assererat, contulerat unum, qui vacabat per obitum Henrici ultimi possessoris defuncti die 27. Maii: sed tamen adversus provisum à Decano, seu ejus resignatario, tertius quidam eundem Canonicatum in Legatione impetravit ob primi provisi inhabilitatem, nullitatem provisionum, & ejus resignatarii incapacitatem, & aliis quovis modo, aut ex alterius cujuscumque persona vacet dictum beneficium.

In specie autem iste tertius impetrans jus suum fundabat ex eo, quod Decanus iste tempore obitus dicti ultimi possessoris, & collationis per ipsum factæ, jam resignaverat suum Decanatum mense Februario tunc antecedente, per quam resignationem amiserat possessionem sui Decanatus, & per consequens non habebat jus conferendi: ergo nulla existente provisione Decani ex defectu potestatis, corruerat collatio per Decanum primo loco facta, & per consequens corruerat etiam resignatio facta per dictum primum provisum: Quia dictus resignatarius nullum jus habebat, si ipsi resignanti nullum jus competebar, Rot. decis. 189. n. 3. p. 5. recent. & decis. 120. n. 17. p. 4. recent. Corruerat etiam resignatio per ipsum facta, quia nemo dat quod non habet.

Secundo, opponebat jus conferendi non ad Decanum, sed ad Archidiaconum, ex illius Capituli fundatione pertinere.

Tertio, contendebat clausulas generales quovis modo, aut ex cujuscumque alterius persona vacet, non posse comprehendere (in favorem dicti resignatarii) vacationem per obitum Henrici.

Quarto, quia lite pendente inter primum provisum, resignantem, & quendam Cornelium, etiam

N 2 de quo